THESES MEDICAE — CARGILL. 1598








From | Payne Library

Theses Med. a Jac. Cargillo Scoto,

1598.

Printed at Basel



THESIVM MEDICARVM MISCELLANEARVM ENNEADES DECEM,

Senatus Medici Basiliensis consulto, pro laurea in Olympicis Asclepiadæis propositæ,

A

IACOBO CARGILLO SCOTO.

Disputandæ, DEO OPT. MAX. Præside, die 23 Ianuarij, hora & loco consuetis.



ATHENIS RAVRACORVM.

M. D. XCIIX.



VIRIS

CLARISS. ET EXCEL-
LENTISS.

D D.

IOHANNI BAVHINO Illustrissimi Ducis VVir-
tembergici Archiatro,


ET

CASPARO BAVHINO Anatomico & Botanico
Professori in Academia Basiliensi ordinario, ejus-
dem Ducis VVirtembergici
Medico, FF.

Promotoribus, fautoribus,

D D.

IACOBVS CARGILLVS SCOTVS.



ENNEAS PRIMA:

1. CONSENTIRI vtero mammas dixit antiquitas; nec negant recētiores. Rationum moles omnis in mammariæ & epigastricæ venæ communionem recumbit. Certè hiantium osculorum ad vmbilicum cōcursus, obscurior licet, non est pertinaciter cum Iouberto negandus; vsus meritò eleuandus. Nam nec eæ maribus desunt; vterus deest. Et cui tandem vsui essent mammariæ pectorales in brutis, quorū mammæ in hypogastrio? Et geminę, quam vocant, Mammariæ, quænam est tanta cum mãmis earumq; vasis corrivatio? sub sterno decurrit illud conjugium triangularem musculum perreptans, & sub costis primum thorace excidit, (cui paratum scrobiculum in cartilagine Xiphoide ad ejus trajectum pertusâ, ostendit à Cl. Præceptore D. PLATERO corporis muliebris posita sceletos) inde rectos abdominis musculos adit. Epigastricæ binæ iliacarum modó, modó cruralium soboles sunt: nō earum, quæ vel corpus per uterum deplent, vel quæ uterum alunt. Faciliús per cavam fluxus & refluxus istius ratio redditur: & si quod putant viæ dispendium, id laxitas abundé compensaverit. Axillarium & hypogastricarum id docet ortus, insertio, propagatio.

2. Quod insignibus lien intertextus sit arteriis, novo dogmati ansam præbuit, hanc arteriosi sanguinis esse officinam; quem subactum & depuratū in arteriæ aortæ truncum, hinc in cordis sinistrum sinum effundat, ut eandem viam iterató repetens, in corpus omne dimanet. Fugit scilicet opinio hæc sanguinis é dextro cordis ventriculo in sinistrum transsumti ænigma. Sed quám cauta, tam consectionum secura. Vt enim maximé in aortam vsq; penetret ex liene, in cordis sinistrum thalamum subire nihil posse, trium valvularum sigmoidῶν, aortæ ostio præpositarum, situs, intus forás spectantium, evincit. Siquidem in systole contractæ arteriosum sanguinem emittunt, non admittūt: in diastole contentæ aditum omnem, vel jam emisso redeundi, vel alteri alicui ingrediendi, præcludunt: ne quid dicam interim, ex eo sequi, non alium esse venæ cavæ in dextrum cordis ventriculum hiantis vsum, quám pulmonis alendi. Cor enim nutricem habet coronariam.

3. Vnde autem meliús, quàm ex eorundem repagulorum cōsideratione, parenchymatis pulmonum embryi, seu generationem, seu nutritionē, deducas? Quó enim alió abeat sanguis ille, arterias umbilicales embryi ingressus? Harum cum arteriis iliacis haud obscura est continuatio. Vnde in aortæ truncum inferiorem effunditur: & quidem ad cor usq; manat; cujus aditu tamen dicti obices prohibent. Ergo in alterum illum regestus, necesse est restagnet; nisi in admirabile diuerticulum evomatur: canalem inquam extra cor, qui arteriam aortam cum vena arteriosa committit, non nisi in embryo aut fœtu legitimo paucis póst mensibus conspiciendum. Quare eó tandem ubi appulit, ubi futuris pulmonibus locus, primulum effusus iis generandis; postmodum generatis nutriendis, materiam suppeditat. Ex quo apparet, naturam levitatem raritatemq; pulmonum, futuræ respirationi (quę fœtui vterum habitanti nulla) necessariam, jam tum meditari; majorem tameu olim, ubi aërem per os ducet, evasuram.

4. Exhausto hoc in commemoratos vsus sanguine, vivifico tamē fœtus nequaquam spoliabitur. Hiat in dextrum cordis thalamum vena cava, cujus osculo osculum respōdet arteriæ venosæ, in corde latens; quod é jugi fonte sanguinem appellentem excipiens, in arteriæ venosæ ramos, per pulmonem dispersos, transmittit: non nutritionis gratiâ, vt quibus jam anté de alimento abundé prospectum per venam arteriosam, quę & in lucem editis nobis officio huic sufficit; sed vt in sinistrum cordis sinum illapsus elaboretur, sigilloq; vitalis sanguinis fœtui familiaris accepto, in aortæ elices derivetur, neq; ingressum prohibentibus arteriæ venosæ binis tantúm trisulcis valvulis, foris intró spectantibus, neq; egressum vetantibus, sigmoideis aortæ obicibus intus forás vergentibus.

5. Ex quibus consequitur, non penitus nihil dicere eos, qui in adulto homine viam maximé probabilem esse sentiunt, sanguinis in sinistrum cordis ventriculum transsumendi, per eandem arteriam venosam; quanquam quomodo hanc subeat, obliteratâ primorũ mensium anastomosi, haud sit promtum explicare; nisi tum agitati in pulmonum substantia sanguinis tenuitas, tum arteriæ venosæ tunicarum raritas, aliquid afferant adjumenti. Id quod facilius mihi creditu videtur, quam si per intergerinum ventriculorum cordis parietem, crassum illum quidem & densum, crassum nec elaborationem λεπτυντικὴν expertum sanguinem traducamus.

6. Namq; tertium illum commentitium cordis ventriculum habeat sibi Cæsalpin⁹. Aristotelem quidem humani aliquid in anatomicis passum, excusat operum moles, & rudior, vixq́; tentata fortè, aut certé minús celebrata consectionum disciplina. Illum veró, nisi ad veritatem aures occludere, animumq́; obfirmare voluisset, nihil horum in tanta luce potuit latere. Et monstratã quidem ab eo viam aliquando in humano corde sequentes institimus, transversum circa basin secuimus; ne ullus tamen, præter vulgatos duos ventriculos, occurrit tertius, cujus ille tamen longitudinem, á basi ad mucronem usq; tendentem, metitur, dextro sinistroq; interjectum: non solúm in grandioribus animalibus, sed & in avibus ipsis conspicuum. Scilicet aut Lynceus est novus Prometheus; aut quotquot sunt, aut fuerunt Anatomici, talpæ.

7. Invitos etiam cogunt invicta rationum momenta, chyli ex intestinis per venas mesaraicas in hepar vsq; conductionem, minimé intricatam fateri. At propaginum venæ, quæ ad Portas, & Cavæ radicum communionem, obscurat mirum in modum circumjectum parenchyma hepatis. Extremorum surculorum coitum decussatum, jam olim voce, scripto & icone asseruit Clariss. Præceptor D. CASPARVS BAVHINVS. Verum neutiquam etiam dissimulanda anastomosis alia evidentior, ante annum non oscitanter mihi observata, cúm eodem jubente docenteq́;, hepatis humani venarum fibras omnes (Cavæ & Portæ truncis etiamnum appensis) parenchymate liberarem. Non illa quidem vel tenuis, vel obscura, suctionem diapedeseos ęmulam in subsidium arcessens; sed quem communem continuumq́; veluti unius vasis ductum recté dixeris. Stylum is admittebat pennæ anserinæ æqualem, etiam jam ignis vim (vt fieri solet) expertus: á quo in omnes undiq;, tam cavæ, quam venæ portæ fibras minimas, diuerticula patebant.

8. Non tantúm obliquorum transversorumq́; abdominis musculorum origo, inferiora versus quærenda; sed & rectorum, quibus non alibi, quam ad os pubis, principiũ assignes: nisi vel ab iis femora sustolli, vel vsu omni vacare velis. Numquid idem de pyramidalibus judicium? Id quidem docet administratio anatomica. Quod si ita est, insertio in rectos erit. Ergo ubi illi agent, hos revellent. Difficile igitur dictu, quid ad excretionem cõferant, nisi per accidens rectis robur addendo. At hoc potuit aponeurosis aliqua? An, quia á principio principium motus maiorum virium indigens?

9. Mirum, quibus rationibus convicti, processus cerebri mamillares jure suo cesserint, ne nervis sese accensere audeant: cúm tamen eandem cum reliquis nervorum á cerebro propagatorum conjugationibus agnoscant originem & substantiam. Fatendum quidem est, utrâq; menynge non penitus circumcirca involvi, sed extrinsecus duntaxat cerebri instar obduci. At an id satis habeat ponderis, vt é nervorum numero excludantur, haud immeritó ambigitur. Vt quid enim aliis omnibus sensibus nervum incunctanter tribuimus, odoratui nullum? Nam quod longam productionẽ de essentia nervi comminiscuntur, refellit ipsa consequentium absurditas. Quasi veró sexta coniugatió non tantúm per thoracis, sed etiam per abdominis viscera, aliasq́; partes internas dispersa, magis nervi mereatur nomen, quam tertia aut quarta, multesimam tanti itineris particulam non emensa. Adde, quod quintum par ne cranio quidem excidit: quod tamen in nervorum tribu jus suum fartum tectum semper retinuit.

ENNEAS SECVNDA.

1. PRęfractiorésne an morosiores, qui seplasiarum gummi Arabicum ex acacia colligi pertinaciter negant. Nam quod in eo τὸ σκωληκοειδὲς desiderant, testantur se

in officinis ſupinos rerum inſpectores. Præterquam enim quod forma coacti gummi, pro motu modoq; manantis è cortice ſucci variat:in eo, quod electum vocant, frequēter ſatis occurrunt fragmenta, non tantúm in vermiculorum ſpeciem contracta, ſed etiam ὑπολίζοντα καὶ διαυγῆ, Dioſcoridis deſcriptioni reſpondentia, l.1.c.134. Adde καρπὸν ὥσπερ θέρμον ἐν λοβοῖς κείμενον, ſpináſq;, quæ in plenis eius ſaccis reperiuntur. Ab eo veró, quòd Acacia deſtituimur, (vſus enim diuturnus ſuccum Prunorum agreſtium pro antiballomeno recepit) ductum argumentum, nihil aliud quam quæſtus & compēdij ſui ſtudioſos arguit mercatores, ijs importandis intentiores, quæ facillimè emtorem inueniunt. Fidem facit Aegyptijs vſitata, hodieq; trunca appellatio, Kakia, ad Græcum vocabulum alludens: flores, Proſpero Alpino teſte, etſi Cayri flavi vel pallidi, in Arabię tamen montibus albi, quales pingit Dioſcorides; ſucci cogendi cōſimilis conſuetudo, & vſus; aliarum deniq; per oras illas gummiferarum arborum defectus.

2. Rhus obſoniorum, & Rhus coriariorum, nomina duo, frutex vnus, nō duo: à quo potuit errore Fuchſiū reuocare Diſcor. l.1.c.148. qui ῥοῦν ἐπὶ τὰ ὄψα, ab aliquibus ἐρυθρὸν appellatum, fructum ſcribit eſſe τῆς καλουμένης βυρσοδεψικῆς. Et ante eum Theophraſt l. 3. hiſtor. plant. cap.18. ex quo diſcimus, σκυτοδέψας folia πρὸς τὸ βάπτειν τὰ λευκὰ δέρματα ſumere; τὸν δὲ καρπὸν ἅμα τῇ σταφυλῇ ἐρυθραίνεσθαι, καὶ γίνεσθαι οἷον φακὸς λεπτός, ἔχειν τι φαρμακῶδες τοῦτο, ὃ καλεῖται ῥοῦς, ἐν αὐτῷ ὀπῶδες.

3. Haud vana eſt ſuſpicio Arabum myrobalanos (à balano myrepſica Græcorum diuerſas) quatuor duntaxat generum in officinis proſtare: Indas oſſium expertes nigricātes, Emblicas rugoſas, in fragmēta ſponte dehiſcentes, oſſe ſeſſili canulato, polito, ſeminibus pyri: Belliricas rotundas, oſſe magno, tenuiore, multum cōcauo, nucleo grandi. Reliquę ſunt chebulę & citrinæ, quas eſſentialiter inter ſe differre (ſaltem quales in officinis hoc nomine proſtant) vix adducor vt credam: vtriſque puluinatus calyx, gummoſus, concolor plurimum, guſtu acerbo & ſubacido: vtriſq; os aſperum turbinatum, canaliculatum, ſcrobiculis melligine quadam concretâ plenis cauernoſum, cavitas anguſta nucleum longum teretem continet, ſic vt non ovum ovo ſimilius, ſi molem excipias chebulis majorē, citrinis minorem; quod an à collectionis tempore pendeat, diſpiciendum. Nam quod chebulas tantúm phlegmagogas, citrinas cholagogas duntaxat dicunt, ex Serapione cap.77. & Avicenna lib.2. Canonis, Tract.2. cap.457. refellitur, qui promiſcuæ facultatis catharticæ diſertis verbis meminerunt.

4. Exoleuit celebre illud Veteribus, ad ophthalmica expetitum Glaucium, adeoq; & cuius herbæ ſuccus fuerit in obſcuro eſt. Qui chelidonium majus volebant, ex deprauato Dioſcoride errorem hauſerunt: apud quem l. 2. c. 211. inter ſpuria chelidonij maj. nomina legitur γλαύκιον: Magno ægrotorum diſpendio incipientibus oculi inflāmationibus adhibebunt, impenſē videlicet calidum. Quo nomine & aliæ quævis conſimiles meritó excluduntur. Non recipio Lobelij & Penæ in Aduerſar. conjecturam; Quid enim ſimile in folijs pomorum amoris cum Papauere corniculato? vbi etiam ſuccus luteus quo penitus debet madere? pręter herbaceum enim virorem in expreſſa ſanie non memini quidquam videre. Corniculato papaueri cùm cōparauit Dioſcorides l.3.c.100. euidenter docuit, ab eo aliud eſſe. Quæ ratio & contra illos militat, qui Papauer corniculatum flore phæniceo ſubſtituerunt, cui ſuccum croceum Cluſ. Hiſp. l.2.c.59. negat. Quod non tantùm eſſe Glaucium, ſed etiam cum Argemone idem, immeritó exiſtimat Dodon. de purg. l.4.c.19. Siquidem Glaucium incipienribus inflāmationibus conuenit, Galeno lib.6. ſimpl. adeó euidenter refrigerat, vt ſolum ſæpe eryſipelata quædam curare poſſit. Argemone, Galeno l.6. de ſimpl. fac. abſtergentis & digerentis eſt facultatis. Ex papaueraceo tamen genere, ſuſpicari citiús, quàm affirmare licet. Quod ſi ita eſt, ſpinoſum illud papauer, figo del inferno nomine cognitū, haud malé quadrabit, coniécturâ cenſuræ meliori obnoxiâ, ſi non verâ, at verò fortè proximâ. Folia Papaveris corniculati ſimillima, qui vidit, incunctanter dixerit. λιπαρώτερα φύλλα apud Dioſc. nitidiora interpretor, qualia ſpinoſi papaueris; nō hirſuta, vt corniculati. Adde ſuccum croceū, πικρότερον ἐν τῇ γεύσει: quem vel leuiſſimo vulnere copioſum fundit. Inſtant Adverſ. autores: ſi eſſet Papauer, non commiſſurum fuiſſe Dioſcoridem, quin lib.4. capp. 65.66. & 67. explicaret. At non vident, locum hunc ſuccis & lachry-

mis diuersissimarum plantarum destinatum. Glaucium herbis annumerat: præcessit Sarcocolla arboris lacryma, & hanc ferulaceorũ lacrymæ. Quid quòd taurocollam & ichthyocollam subjecit, consistentiæ solius similitudinem sequutus.

5. Aequo animo Glycyrrhizæ Dioscorideæ ferendũ desiderium: quanquam non planè interim ignotæ, fructu pilurarum platani magnitudinis: é siliquis lentium modo, compactili, rufis & parvis. Vincit dulcedine, eaq; propter & vsu, radix Scythica & σὺθυγλυκάα Theophrasto dicta, l.9: c.13. hist. plant. quæ quia ex radicis argumento nomen cum Dioscoridęa commune habet ex vulgi consuetudine, Valerio Cordo l.2. hist. plant. c.156. imposuit: vt pilulas platani, & impropriam fructus appellatronem apud Dioscoridem taxaret, vtrâq; notâ ad pediculum, vel hastulam flores sustinentem, violenter detortâ.

6. Iusto simplicior est credulitas, Thamarindos nihil aliud existimare, quàm ex prunorum pulpa & seminibus vel ceratoniæ, vel cassiæ solutiuæ compositum magma. Nam & pruna acore superant illi, & colore intensiore. Semen autem spadiceum, sæpe quadratum, aream orbicularem depressam in medio ostendit, à Cassiæ & Ceratoniæ granis leui negotio distinguendum. Iam veró si siliquâ didiceris pulpam illam contineri é prunorum tribu moueris. Si & folia Lentis aut Sesban, (non enim esse salicis, quod ex Serapione prodidit Matthiolus, docent é semine natæ plantulæ) neq; Cassiæ, neq; prunis neq; Ceratoniæ sui generis arborem accensueris.

7. Capitalis error, Sandaracham Græcorum & Arabum confundere: nomine vno res multo diuersissimas signantes. Dioscoridi l.6.c.29. inter venena, pari cum calce viva & auripigmento pernicie, vnis ijsdémq; remedijs profliganda, infamis. Nam & in ijsdem metallis cum arsenico reperitur, ab intensiore calore rubefacta; adeó vt arsenici rubri apud Pharmacopolas nomen meruerit, perinde ac si solâ coctione maiore differret. Id quod & ars etiam, si Matthioli experimẽtis credimus, possit efficere. Cæterúm Arabibus celebrara Sandaracha é Iunipero petita lacryma siue eam intró sumas, siue foris adhibeas, malignitatis omnis expers comperitur, succini pene facultatibus, autore Serapione c.57. prædita, Mastichæ aspectu haud absimilis, nisi hæc sub dẽtibus lentesceret, illius grumi dissiliant, neq; denuo sub dente cogantur. Sua ergo cuiq; in compositionibus reddenda Sandarcha.

8. Minium vocant hodie Officinæ, quędam Cerusam in rubedinem excoctam, aliæ ex sulphure & argento vivo cinnabarin factitiam, vtræq; contra veterum cõsuetudinem. Illis minium nativum erat, in metallis inveniri solitum, inter pigmenta olim magnæ autoritatis, & quondam apud Romanos, ait Plinius, non solúm maximæ, sed etiã sacræ; vt quo Iovis ipsius simulacri facies diebus festis illini consueuerit, triumphantiúmq; corpora. Hodierni vsus illud factitium, prius quidem si ad Dioscoridæam historiam exigatur, sandyx esse veterum deprehenditur. Plinio l.35.c.6. Sandaracha, quod forté eam colore æmuletur flammeo: cuius sandycem facit Dioscoridęa tosta, æquâ parte rubrica admista. Quem eodem loco de sandyce haud falsus fefellit Poëta. Posterius veteribus indictum videtur.

9. Abusus est, vel inscitia potiús tegulis & palimspestis destinatum lapidem fissilẽ, cum Schisto, vocabuli æquipollentis argumento, eundem facere, quem apud Dioscoridem l.5.c.145. ab hæmatite color cotis aquariæ attritu dilutior, venarum discursus, viréʃq; infirmiores distinguunt, Plinio l.36.c.20. tam hæmatitæ similem, vt eo adulteretur. In ijsdem, autore Agricolâ (de fossil.l.5.) gignuntur metallis, colorúmq; varietates multiplices ambo recipiunt, duritie sæpe pari; sic vt non leuis sit suspicio, hodie etiam alterum pro altero sæpenumero prostare.

ENNEAS TERTIA.

1. INsitum calorem cœlo deducere, diuinior quam verior Philosophia est: cuius autores ne ipsi quidem sibi ipsis constant. Andabatarum more cæcis vulneribus se mutuó conficiunt illa verba: Calor viventium (Fernel.4. Physiol.1) non ex prima elementorum mistione: Calor viventium optimo iure (Fern, 2. de abd. caus.c 7.) cœlestis. ac plané diuinus. Et, Quin nostræ (Fern, l.4. Phys. c.6.) originis contemplatio vitalem calo-

calorem vná cum humido primigenio, á semine deriuari commonstrat: paulóq; pòst, Quantumcunq; id ipsum est (humidum) quod in vitæ extremum reconditur, secum id spiritum & calorem ex semine advexit. Et mox: ex quo intelligi potest, solidam similarium partium substantiam, & quidquid in eius compositione inest, siue crassamentum, siue humidum primigenium, siue spiritus, siue insitus calor; id omne olim á semine natum processisse, & tanquam illius quædam portio sit incorrupta, seminis naturā plurimum redolere. Et, (Fern.l.4. Phys.c.2.) Est spiritus corpus æthereum, caloris facultatùmq; sedes &c. cuius fouendi gratiâ inspiratione aërem introducimus, quo nō modó corpori refrigerationem, (hæc enim satis posset aliunde comparari) sed pabulū quoq; subministrat: Nam si ex parentum semine originem traxerunt spiritus & calor insitus, haud aliam possunt, quam elementarē agnoscere. Cúm enim in semine præter crassamentum & spiritum nihil reperiatur; illud ex sanguine per venas spermaticas, hic ex vivifico illo per arterias spermaticas dimanet: fieri nō potest, vt cuius causa cœlestis non est, idipsum cæleste existat. Sanguis quippe ex ingestis concoctisq; alimentis; alimenta ex elementis conflata. Spiritus partim ex eodem sanguine, partim ex inspirato aëre gignitur. Adde generationi consentaneam nutritionem: cælum enim & cælestia pabulo non egent, nec alimenti inopiâ possunt interire, nec putredine pessundari, nec à frigore elementari extingui. Quod si etiam ab igneo calore moderato generari aut animari possunt animalia; quid de calore mistione temperato & represso dicemus, cuius mistionis rationem tam mirificam ignoramus, effecta percipimus? Aegyptum hodie fornacibus pullos excludere citra incubatum, docet Bellonius Singularium lib.2.c.31. Vt ergo maximé á temperamēto diversus sit ille insitus calor; non ob id non fuerit elementatis; multó minús cęlestis: quanquam inexplicabilis nobis mistionis eiusmodi ratio. Disparata sunt, calor tēperamēti, calor cælestis: neq; illo sublato, hic ponitur. Calor febrilis naturæ hostis ab vtroq; diuersus. Quidni & alius aliquis?

2. Carnosarum partium facilis, postquam deperditæ fuerint, regeneratio: spermaticarū, plerarūq; saltem non item. Nunquid, quia deest materia? At cúm eæ ad adolescentiā vsq; augescant, quod non nisi præsente fit materiâ; quidni ad regenerationem sufficiat? Et dentibus, in confesso est, ad vigesimum annū generandis, genuinis etiam ad octogesimum, omnibus ferè ad senectutem augendis, suppetere materiam; quidni & ossibus æqué paruis? Nec hîc obest imbecillitas: siquidem ossa, partes frigidissimæ, callum sibi ipsis duricie parē regenerant. Adde igitur reliqua impedimenta; obsistentes partes carnosas generationis longè facilioris, vt quæ calidæ humidæq;, facultate cōcoctrice plurimum valeant: quó fit, vt spacium vacuum priús carne oppleatur, quā possint exsangues illæ particulæ frigidæ & siccæ eam portionem, quæ sibi deest, regignere. Dentes veró nuditas ab hoc impedimento vindicavit.

3. Pinguedinis generatio, res alia; alia, eius concretio. Illa ad substantiam; hæc ad accidens, & quidem χωριστὸν pertinet. Hac ratione componitur lis multis agitata. Calore per se soluitur. Ex quo consequitur contrario frigori deberi congelationē. Et cedēte calore cogitur, subeunte liquescit. Nam & contrariorum effectuum contrariæ per se sunt causæ: nec idem contrariorum effectuum in re vna, secundúm eandem rationē, est causa. Ad generationem pertinent illa: ex Galeno (l. 2. diff. febr. c.2.) bilis flauæ & pinguetudinis eadē est materia; sanguinis videlicet pars tenuissima & pinguissima. Ex Aristot. veró (l.1. de gener. anim. c.18.) Proxima causa, & seminis, & pinguedinis vna, ideóq; animalia pinguia minús fæcūda, & castrata animalia pinguescunt magis. Quare non, si ad partes omnes frigidas non reperitur adnata pinguedo, consequitur frigori coagulandę eius vim derogandam, calori arrogandàm. Nam vel frigidiores sunt interdum partes, quam vt in vasis contentum sanguinem in adipem coquendo transmutare possint; vel tam paruas & raras habent venas vt quanto ad nutritionem opus est, tantū adducant sanguinis: quo fit, vt pinguedinis minus necessariæ generandæ materiā præcipiat magis necessaria nutritio. Adde deniq; & tempus debitum.

2. Per vigilias, quam per somnū, non ausim omnem concoctionē feliciorē asserere: tertiam facilé concesserim. Nam & motus diurnus anadosin promouet, & cū calore & spiritibus ad superficiem chymos per venas (accedente defluvij ratione, indigentiæ natura-

naturalis sensu) protrudit, pauciore circa viscera relicto cõmeatu. Ijdem per somnum ad interna vberiús regurgitant, secundæ concoctionis majore cõmodo. Quo fit, vt interim copiosiore destitutæ calore partes exteriores maneant. Alioqui quid noctu & dormientes alsiosi citiús stragulis obruimur ferè interdum, quam incalescimus? Imbelle argumentum debilioris per somnum micantium arteriarum pulsus, veluti sorex suo indicio proditur. Quiescunt, aut certè remittuntur tunc temporis reliquæ facultates & spiritus, vices suas perfectiús obeunte facultate naturali. Neq; vitalis illa est, quæ primò & per se coctioni præest. Quod si adeò esset, eo ipso quod debilis tũc est pulsus, calorem non ad exteriora expandi, sed ad interiora refugisse, clarum est.

5. Venæ insignes & numerosæ per ventriculum sparsæ, potissimúm per partem eius superiorem coronaria stomachica, quo probatur, non tam avehendo chylo, quam advehendo sanguini, cõditas quod minimũ illic chyli, quó autẽ chyli moles recumbit. I. in fundo pauciores, minores. Quod si etiã vtrumq; facere dicas, Galenũ non habebis repugnantem. Adde, venas ad interiorem quoq; ventriculi tunicam pertinentes; quas non tantum chylo auehendo, sed & sanguini advehendo deservire, ex Galeno patet 5. Nat. fac. c. 13. In chylo partes impuriores nondũ secretæ, non bili flauâ, non succo melancholico, non sero; quomodo ergo aletur? cum deterior quam mẽbranarum non videatur debere esse ventriculi conditio; quas nemo tamen negat sanguine nutriri. Qui ventriculum nõ sanguine, sed chylo nutriri contendit, ad primordiorum nostrorum contemplationem esset relegandus, quo pacto is in fætu, cùm nullus ore cibus trahatur, nulla celebretur chylosis, alatur. Ergòne pejor ventriculi extra vterum cõditio, nullâ præsertim id cogente necessitate? Ipsa & ossa, quæ à sanguinis natura longiús recesserunt, quàm ventriculus, sanguine aluntur: qúidni & ventriculus, ne chyli & ventriculi symbolum frustra quis objiciat? Rectiús Philosophus (l. 2. part. anim. c. 3.) philosophatur, τὸ αἷμα ὕλην εἶναι παντὸς τοῦ σώματος: τὴν γὰρ τροφὴν, ὕλην. Quis ergo, inquies tractionis finis, nisi attracto cibo inq; chylum conuerso nutriatur? Nempe totius corporis conseruandi gratiâ, Neque tamẽ ob id ratione vti licet contendere. Suum cuiq; parti munus artificiosa natura, vel sanctiús DEVS OPT. MAX. injunxit: quale obseruamus, huic vt sibi soli vacet, illi vt alijs, nempe vt omnium in vnius corporis conservãdi negotium conspirent actiones. Dirigit has vniuersalis natura, vt loquuntur Philosophi: eadem, inquam, quæ suo vnamquamq; etiam loco posuit, figurauit. At priusquã chylus in sanguinem versus ventriculo alendo idoneus esse possit, rabies eius demulcetur. Sanè compescere quidem latrantis ventriculi famem animalem, haud erit absurdum confiteri: at perfectam inde nutritionem petere non licet.

6. Idem de Renibus, vesicâ bilariâ & vrinariâ, esto judicium. Quippe hæ quoque partes vniuersalis naturæ intentione directæ sanguinem depurant; à sero renes, à bile & vrinâ vesica vtraq;. Quibus tamen recrementis tantũ abest vt nutriantur, vt ea quotidie extra corpus conduci animaduertamus: in particulas autem illas nutritionis gratiâ pertinere venas euidentes. Achillem verò illum, ὀδὲν ἕλκειν διὰ αὐτὸ τὸ ἕλκειν, abundé refellunt magnes & succinum: quorum neq; ille ferro, neq; hoc paleis & festucis nutritur.

7. Ex spirituum numero parum abest, quin naturalis, vnica Galeni dubitatione l. 12. Method. med. veluti interdicto prætorio exsulet: quod vis scilicet naturalis in attrahẽdo, retinendo, coquendo, expellendo, posita, singulis partibus insita, atq; ingenita sit. Verúm licét omnibus particulis hæ insunt facultates; foueri tamen eas & conservari ab aliquo, ceu fonte iugi, qui salutares rivulos facultatis naturalis quoquó versús diffundat, & perpetuó subministret, necesse est. Alioqui cõgenita partibus nutrix facultas, externis caloris frigorisq; iniurijs exposita, haud difficulter vel ab hoc extingueretur, vel ab illo dissiparetur. Nihil hic officinam ei gignendo moramur, qualis vitali in corde. Dissimilis spiritus ergasterion dissimile nactus est. Nam ne in cerebro quidẽ, etsi spiritum incunctanter concedunt, elaborationi tales ab omnibus conceduntur cauitates; in longé alium, vti voluerunt, vsum conditis eius ventriculis. Nihil ergo absurdi, quantum spiritui naturali de puritate reliquorum respectu decedit, tantum etiam de officinæ fabrica decedere. Rivulos autem, quibus in partes emanat, eosdem qui & sanguinem ad eas deportant, sufficere arbitramur.

8. Infa-

8. Infamiâ veneni menses notavit Plinius,l.7.c.15.& l.28.c.7.jactis in eos opprobriorum monstrificorum plaustris: & ex eo Fernelius Physiol.l.7.c.2. Quorum sanior medicina sententiam, nisi morbi causâ vitium fecerint, haud immeritó damnat. Mirum enim,tantam perniciem nec eam cui subst̃iterint statim é medio tollere,nec gravissima potionatorum symptomata procreare.Hoc si verum esset,quidquid vel est vel fuit hominum, ex ipsis primordiis non tantúm morbidum; sed puellæ ad Macedonum regem missæ instar,certam circumferret in obvios perniciem. Scio quid respondeant: non menstruo sanguine nutriri fœtum,sed puriori materni sanguinis portione. At si unius & ejusdem corporis partes alimentum sibi non patiuntur præripi,quo ipsæ indigent, ut docet Galen.3.de nat.fac.13. quãto minús maternum corpus, fœtus corpori purissimam concedet sui sanguinis partem,quâ ipsum ad sui nutritionem indiget. Varia non nego suppressis mensibus ingruere,eaq; gravia symptomata: sed præter naturam suppressis: sæpe etiã inquinatissimos manare; at non quatenus tales, uná cum iis cacochymiam,vel totius corporis,vel partis alicujus,deplente naturâ.

9. Eundem sexum semine spoliârunt alij. Quorsum igitur tantus vasorum & viscerũ apparatus certè virilibus respondentium,præparantiũ,duarum arteriarum, totidemq; venarum spermaticarum,testium? item vasorum ejaculatoriorum seu deferentium? Oculata fides in anatomicis dissectionibus earum,quæ thesmophoria celebrãt, fidem facit,ne castis auribus ἰνεργωγμὸς muliebres obtrudamus.

ENNEAS QVARTA.

1. SI ex obstructione,inquiunt,pori vesiculæ bilariæ,aut minimorũ meatuum, quibus ex hepate bilem illa sugit,morbus arquatus pendeat,nullâ flavedine tinguntur alvi excrementa: quod in harum obstructionum altera inanis sit folliculus,in altera etsi bile turgeat,in intestina tamen minimé se potest interclusâ via exonerare. Nota celebris,sed nequaquam necessaria. Siquidem laxus,præter omnes illos, meatus rectã ex hepate in communẽ ductum,in duodeni intestini finem, seu jejuni principiũ, inter geminas membranas,patet,apportandæ bili etiam crassiori idoneus, quâ excrementis colorem solitum posse conciliari,haud est dubium. At si communem vesiculæ & hujus meatus coitũ prope intestina contingat obstrui,omni vndiq; præcluso aditu,quod nulla potis est intestinum subire bilis,non aliam referent excrementa colorem, quam quem in ventriculo & intestinis acceperunt,hoc est album.

2. Febres critice solvit icterus,tam intermittentes,quam continuas quasdam, (4.Aphor.64.) die septimo,nono, vndecimo, decimoquarto: ante septimum regij morbi, malum.4.Aph.62. Quid ita? Nam & ante hunc non infelices judicationes,si præsertim exacté acuti fuerunt morbi,testatum est. Quare & tertio, & quinto, febricitãtibus sudores bonos pronunciavit Hipp.4.Aph.36. Et quartum, aliâs septimi indicem, crisimon interdum acutissimorum morborum,lib.3.Prognost.statuit. Quid igitur obstat, quin ante septimum in exacté acutis febribus continuis,materia pauca,celeris motus, robore naturæ sub cutem usq; feliciter protrudatur: sub quâ ex accidente aliquo densata,captiva detineatur? (Malim enim in auriginosis quibusdam cutis densitatem,quã bilis crassitiem causari,quod hanc sero dilutam & cum sero delatam doceat extractus per phlebotomiã sanguis: cutis densitatem arguant etiam in Laconico subinde negati sudores.) Namq; 4.de rat.vict.acut.sect. 82. icterus cum rigore ante septimum,morbum solvit. Anne,non ad omne malum signum sequitur semper malum? Nec rara artis sunt,& Seni proinde artem meditanti neglecta?

3. Internus capitis dolor ad oculorum radices pertingit,ita nos docente oculorum structurâ,quos cum cerebro communes meninges obvestiunt,ut membranarum continuatione condolere,minimé sit mirandum. Verúm non solus internus. Doleat foris constitutum pericranium: eodem cũm etiam oculi succingantur, ejusdem continuationis ratione oculos dolere oportebit. Penitius tamen in dolore interno, quam externo; quantó penitior meningum, quam pericranii circa oculos obvolutio.

4. Prudens est Fallopii cautio,de tonsillis p.n.laborantibus, ad diagnosin nõ parum faciens. Eæ siquidem præter aliarum glandularum conditionem, tunicam habent ner-

vosam,multisq; amplis foraminibus perviam,quę tumentib.tonsillis magis dehiscentia,facilé hujus rei ignaris imponunt,ulcuscula esse credentibus. Cæterùm illa,detumescentibus duntaxat glandulis connivent, & mox obliterantur, nullum remedium peculiare poscentia.

5. Sive μυῶδες πλάτυσμα Galeno dictum convellatur,sive resolvatur, in obliquum deformatur cum facie os: cui affectui pharmaca promiscua decernunt faciendæ medicinæ autores.Sed cúm topicorum spasmicorum facultas remissiús digerat,magis emolliat,paralyticorũ vehementiús discutiat: nec hæc convulsis,nec illa resolutis,aut utralibet sanis partibus,ex arte adhibueris. Fallit enim sanæ etiam partis in paralysi deformitas major, quam ægræ; quoniam officio suo fungentes ejus musculi ad se ægram trahunt. Contrá, in spasmo ægra pars sanam ad se retrahit. Errorem tollit dolor,qui convulsis comes,resolutis nullus; sed ignava sine dolore inertia.

6. Non magis terrifici consulares fasces,quam alicubi apparatus examinis elephantici,partim veris,partim ad pompam comparatis signis, progrediens. Illa ex affectus essentia,pendent,magni meritó facienda: reliqua quid,nisi simpliciorum ignorãtiam fovent? Dorso affundunt aquam,morbi,si madoris vestigia non relinquat,futurum indicium. Quasi pingui quodam tertiæ concoctionis excremento semper oblita cutis, etiam integerrimé sanorum,humiditatem aqueam non respueret. Quid habet rationis, sanguinẽ, partim in pelvim aquæ puræ,partim in phialam suspecti urinâ plenam emittere,partim asperso lithargyri aut plumbi usti pulvere probare. Albicantes fibras, sine quibus nunquam concrescat sanguis,ideoque nec partibus apponi, aut in eorum substantiam concedere possit, in colo relictas, ominosas putant. Quinetiam veniáne dignior simplicitas,an supplicio pertinacia eorum,qui in emissum sanguinem injecto sale,ejus grumos pro grandinibus habent? scio qui hîc & urinarum & sanguinis observationem susq; deq; ferant.

7. Lumbricos ex eorum numero, quos ἕλμινθας στρογγύλας vocant,ex dextro inguine, quod perforârant,egressos,superiore æstate,in intestinis natos,vi sibi viam fecisse, neglectâ ope Medicâ,patefecit non tantúm excretũ,sed & excernendi modus, cum situs partium consideratione: vt desinat mirari Avic.(l.3.fen 16.Tract.5,c.1.)aut Paulo Aeginetæ similia proponenti(l.4.c.57.)fidem derogare.Longitudo spithamæa; forma qualis rotundorũ, quos per anum ex intestinis eo superioribus descendere fatentur omnes. Omnium veró maximé dubitationem omnem sustulit, à Chirurgo spongiola in cuniculum inguinis indita,quæ postridie,quòd filo alligare ad retractionẽ ille neglexisset,in intestini ex adverso respondens foramen illapsa,per anum reddita est. Superstes tamen ægrota, intestinorum vulnus certæ mortis prædictioni (quod 6.Aphor.18. scriptum est) eximit.

8. Nec ipse quidem œsophagus á resolutionis periculo vsquequaq; tutus; difficilẽ tamen sui cognitionem præbet: quippe unicum hîc nobis relictum ab actione læsa argumentum; scrupulum tamẽ dubitationis plenum injicit, cúm in aliis deglutiendis aptus,in aliis ineptus,ancipiti cogitatione animum distrahat. Artificiosa tamẽ est ejus resoluti conjectura,si cibaria devorare potest, quæ consistentiâ sunt crassiore; quæ liquidiore,non potest. Constringi enim superné deorsum oportet, ut alimenta detrudat.Levi autem constrictione factâ,in majusculos bolos & spissos cibos,& magis agit, & faciliús deturbat,in liquidiores & minores minús, vt quæ compressionis vim eludant, quemadmodum feré in expectorationibus experimur.

9. Vromantiam & Sphygmicam professi,illi ex vrinis, hi ex arteriarum micantium pulsu,omnem omnium morborum,& diagnosin,& prognosin,nimis cõfidenter, cum reliquorum signorum contemtu & artis dedecore,pollicẽtur. Ad vrinas proprié & per se pertinent hepar,vena cava,renes,ureteres, vesica, urethra, & his affines partes. Ad pulsum, cor, primarió secundarióve laborans, & de vitali robore judicium. Hunc in carpo tangimus. Quod si non liceat,(vt Polemarcho apud Amatum Lusitanum,Centur.1.curat.96. cui ob commissum facinus publicé Venetiis manus ambæ per brachialia abscissæ fuerant) ex Galeni consilio,l.3.de Admin.anat.c.13. in tarso directé ad secũdum digitum post maximum,loco excarni experiemur.

ENNEAS

ENNEAS QVINTA.

1. NOn ausim cum Iouberto pituitę sobolem, febrem intermittentem quotidianā, penitus negare. Non enim sequitur, quia pituita, vt scribit, ægerrimé & levissimé putrescit, febrem accendere non posse. Nam illud cum principiis Philosophiæ pugnat: hoc observationib⁹ medicis refellitur. Copiosa pituitæ humiditas, & calor paucus, alieno calori & putredini obnoxiam eam esse demonstrant: quó etiam lentor & crassities accedit, obstructionem inducens, quæ decantatissima febriū causa, ambienti calori robur quoq; addet, ut modico illo pituitæ familiari calore extracto superatoq;, alienus in eum vehementiús agat. Neq; tam levis ille putrescentis pituitæ vapor fuerit, quin, si cor percellat, in ipso febrilem calorem possit accendere. Agnoscunt Medici vermes é putri pituita generari: iidem tamen febrem lentam progignunt. Vnde lenta hydropicorum febricula, nisi ex putrente sero, pituitæ congeneri; aut certé nō magis quam pituita putredini obnoxia? sed ne ex vermibus & sero πυρετοφύγετον quæratur, quā aliam comminisci possumus causam febris, in obstructis visceribus virginum, fœdo colore laborantium; nisi crassam pituitam putrem? Vnde ergo intermittentis quotidianæ raritas? An quia protractior paroxysmus imperfectiorem obscuriorem q; ἀπυρεξίαν, ut quodam modo continua possit videri, concedit. Typus tamen, ætas, tempus, virtus, habitus, & similia, ne duplex Tertiana intermittens, pro Quotidiana intermittente fallat, in consilium adhibebuntur.

2. Quos dirus coli cruciatus affligit, etiamsi is frigidus sit, & ex pituita obstruente natus, iis contingit interdum tinctiores reddi urinas, nullo immodici caloris apparēte argumēto; nisi hunc fecerit laboriosa jactatio, non diu duraturum. Cujus rei, illo ipso nomine, causam minimé ad urinæ chymosin existimo referendā: cúm de frigida partium naturalium intemperie testetur affectus frigidus. Sed cum vel in optimo temperamento, imó in intemperie frigida, bilem quoq; nonnullam ex præscripto naturæ generari sit receptum, ea si aditu intercludatur, ne in intestina ferri possit, obturante obliqui foraminis operculum membraneum pituitâ crassâ lentaq;; minimé mirandum est, plenam cystin cholidochon, sicut sese deonerare non potest, ita nec quicquam posse amplius ex hepate allicere. Quo fit, ut in venas restagnans, cum sero in renes per emulgentes venas tracta, in vesicam simul delapsa, vehementer urinas tingat. Neq; tamen reciprocé ex tinctis urinis de colico dolore pituitoso, firmiter unquā concludas.

3. Verisimile est, similem quoque esse tinctionis hydropicorum urinæ causam; obstructionem puta pororum, quibus in vesiculam suam allicitur bilis, scirrho jecur occupante. Ex quo fit, vt in venas ea regurgitet. Quanquam enim subinde etiam febriculâ lentâ tenentur; non est tamen tanta ejus vis, ut tam statim urinas colore tingat: cúm præter modum frigescat hepar, sic ut non tam chymosi, quám bilis copiosioris admistioni, color hic acceptus referendus sit: præsertim cúm eæ non tantúm insigniter tinctæ, sed etiam crassæ sint; simplex autem intemperies tingat, non denset. Ad colorē saltem, facit & urinæ mora in vesica. Nam cúm serum in abdomen rapiatur, pauculum ejus est, quod in vesicam fertur: quare nec pondere suo eam potest sæpe aut multum irritare.

4. In febribus tertianis intermittentibus utrumq; contingit. Nam & calidior jecoris intemperies humores assat, vnde vel ipsius chymoseos ratione tinctiores urinæ: & bilis supervacua, sive é cysti sua, sive ex hepate redundans, & in venas irrumpens, sero permiscetur, & cum eo fertur; non tantúm colorem, sed & crassitiem ei concilians, talem tantamq;, qualem quantamque sub paroxysmorum potissimúm finem redditas urinas retinere conspicimus. Quód enim bilis, non in his solúm, sed etiam in ictero, sanguini veré non permisceatur, argumento est; quod in iis affectibus, si vena secetur, massa illa sanguinea, quatuor humorum permistione constans, pura atq; sincera (nisi aliunde vitium contraxerit) apparet, nec citrino bilis colore infecta.

5. Acerbum est auditu, & explicatu difficile, quâ ratione bilis prassina aut flava paralyseos causa esse possit: quod scriptum reliquit Fernelius, Pathol. l.4.c.10. & l.5. Pathol.c.3. Mordaci acrimoniâ, si vel hæc vel illa in nervos partésve nervosas irrumpat,

dubium non est, quin irritando convulsiones excitet: tantumque abest, ut motum & sensum tollat, quæ resolutionem comitantur, vel ambo, vel alteruter; ut potiús alterum quidem augeat, alterum certé per se non tollat. Levis & momentanea ejusmodi partium punctura distentionem invehit horrendam. Quid, quod a tali humore elevatum duntaxat vaporem non ferunt, quin collectis viribus omnibus violenter ad noxij expulsionem insurgant? Et argumenti quidem fidem elevat ipsum orationis filum. Quippe non alias partes resolvi, docet ipse 5.Pathol.3., & ratio evincit, quam eas, quarū nervi circa originem afficiuntur; aut eas quæ subjectæ sunt, si major sit offensa. At 4. Pathol.10. dissecto corpore bilem prassinam circum jecoris cava membranis coërcitā ejusq; portionem in spinæ nervos obrepsisse deprehendit. Quód si consentanea dicere voluit, quidquid quidem spinæ lumbari subjectum est, resolvi debuisset, non (quod paulo anté dixerat) partium omnium quæ sub capite sunt. Quare resolutionis illius causa altiús erat disquirenda. Proferemus tamen colorem, qui forté in quibusdam veri speciem habeat, si conceditur, bilem tenuitate suâ pituitam fundere, quæ loco mota & disjecta in nervum irrumpat. Sed hîc tamen, quo modo pituita in præsenti exemplo ἀὐχῤῥεων sit facta, non docet.

6. Cœliacum affectum Celsus l.4.c.14. ventriculo asscribit primarió, nominis forté rationem sequutus; tolerabili magis errore, quam ubi symptomata subiungit, ventris duritatem, & quidem tantam, vt ne spiritum quidem transmittat. Refellit utrumque scholę medicæ consensus. Quippe, cúm cibi in chylum conversi per cœliacos affectus dejiciantur, non tam ventriculi minimé cōcoquentis, quam vel intestinorum non retinentium, vel hepatis & mesaraicarum venarum nō trahentium, vitio id accidere putandum est. Non est ergo hic proprié ventriculi affectus; sed ille potiús, quo alimenta prorsus cruda, ut sumta sunt, inferné prodeunt, tanta tamq; manifestâ cruditate, ut alimenti assumti genus aperté cognoscatur. Lienteriam vocant, quasi intestinorum dicas lævitatem, cúm á ventriculo interea potiús dependeat imbecilli, quam ab intestinorū vitio. Ex quibus etiam patet, duritatem illam immodicam alvi, & obstructionem, ut ne flatus quidem transmitti queant, Celso scriptam, nequaquam esse recipiendam.

7. Sclopetariâ glande inflicta vulnera, aut nihil plané, aut minimum empyreumatis retinere, ex eo apparet, quod si vel cumulum pulveris accendas, duntaxat tepet locus, in quo accensus flammam concepit: adeoq; nec á tubo procul comitatur globum. At ne globus quidem ipse alio, quam tolerabili calore præditus, si statim inflicto vulnere tangatur, reperitur, ut empyreumatis suspicionem facilé possit eximere. Quód si & ad parietem, displosâ machinâ, allisus, nihil ardens tangenti prę se fert, quantó minús carnem humanam pertransiens. Majorem meritò calorem videtur parere debuisse, major attritio, quæ quanto duriora sunt, magisq; resistunt quæ atteruntur, tanto etiam ipsa major est De ardore primúm, superveniente inflammatione in contusionibus non insolenti, quiritantur. Rubor affluxum sanguinis arguit. & solutionem continui; qui postea nigrescit, non aliter quam ecchymosin excipientes lividæ suggillationes. Nam quód hæmorrhagiam negant, cauterio similem vim ut probent, tantum abest ut nulla ea sit, ut sæpe vix sisti possit; præsertim si locus ἐπικαίριος sit. In quibus autem vulneribus insignis illa non apparet, id aut, quia paucioribus & minoribus vasis pars est intertexta, contingit; aut quia á vulnere statim tumentes particulæ foramen occludunt, ut ne turundis immittendis pateat aditus; aut deniq;, quia terrore ad interiora sanguis refugit. Ita enim legimus, aliquando hæmorrhagiam, quæ nullis remediis sisti potuit, datâ operâ incusso terrore magistratus supervenientis & supplicii impendentis, prudenter cohibitam.

8. Et quod ad pulverem quidem attinet pyrium, veneni quoq; suspicione liberant ea, ex quibus componitur, sumentibus nullam malignitatis notam imprimentia. Dioscorides sulphur in asthmate exhibet. Tiliæ carbones lapsis ab alto, sunt qui ex liquore aliquo propinent. Salis petræ trochiscos, non incelebres viri in febrili incendio concedunt. Aquæ vitæ salutarem vim intra corpus quotidie experimur. Neq; verò solum singula hæc seorsim veneno carent; verúm etiam hoc ipsum totum, quod ex iis omnibus commixtis constat; ne ex fermentatione, & cramate virus contraxisse putes.

Quippe

Quippe in castris Germanicis, cúm contra pestis contagia, tum ipsum sclopetariæ sphærulæ vulnus, usitata est antidotus.

9. Sed ne plumbum inimicum naturæ est, quippe quod & salubriter foris quotidie, & emarginandis edomandísq; vlceribus malémoratis, imponi soleat; & explicandis in volvulo intestinorum spiris Tralliani consilio deglutiatur: nec raró in particulis innoxié diu hæreat, postquam profundiús adactus, vel dilacerationis periculosæ metu non attentatus globus, vel instrumentorum chirurgicorum vim omnem eluserit. Ferri interim in corpus cúm sphærula venenum, in veneficorum tanta malicia, non videtur absurdum. An veró etiam in vnum crama coire possint, ἐπέχω.

ENNEAS SEXTA.

1. SI in simplicibus vires vegetæ expetuntur, tum demum herbarum radices expedict colligere, cúm maximé sunt medicamentosæ: quod haud aliás temeré, quã vere vsu venit. Postquam enim caulem, flores, fructum seminaq; próduxerunt, effætæ jacent radices, & vel penitus depereunt, vt pleræq; omnes annuæ; aut certè quantum ad illa generanda succi á radice fuit subministratũ, tantum radici de viribus decessit: quæ vere probé cocto abundat humore, ex quo efficacitas ejus arguitur. Quoniã veró non illa tantúm, sed etiam propter temporum vicissitudines diuturnitas expetitur, cui inimica redundans nimium per vernos menses humiditas: luxuriem illã, foliorum sufficienti emissione, castigatã expectare licebit. Si quid in certis quibusdam singulare obseruatum sit, nihil impedit ratione confirmatã obseruationem sequi,

2. Eadem ratio aliud floribus, fructibus & seminibus demetendis tempus præscribit: varium illud quidem, & ferè suum cuique, sed quod ad vnici theorematis caput relatum, explicatu non ita fuerit difficile. Vigent flores per æstatem maxima ex parte, alij per ver, non nisi autumno alij. Hinc seminum, nec non fructuum, in alios atq; alios menses incidit maturitas; sera plerisq; nisi in fugacium sint numero. Quo fiet, vt si ad rationes accedat in ephemeridas relata, aut fideli mente reseruata adnotatio, vix falli possit in singulis iis colligendis Pharmacopœus.

3. Petitur ergo horum omnium colligendorum reponendorumq́; ex ipsa rerum natura indicatio, majoris sanè momenti, quã ab externis; nisi quatenus ea in res ipsas agunt. Ita nimirum magni refert inter colligendum, si vel squalores, vel imbres infesti sunt Quemadmodum an in clivosis, & vento soliq́; expositis: an verô iu riguis, campestribus, à vento silentibus, nullóq; sole illustratis, enata fuerint. Humiditas etenim quia feré frigus habet comitem, calorem obtundit, qui in siccis vegetior.

4. Nimis anili superstitione imbuti videntur, qui alces vngulam ad sontici morbi profligationem (de qua tamem facultate video à doctis dubitatum) non probant, nisi ea non solum certâ dierum obseruatione, sed animali adhuc vivo amputetur. Si quid enim vita conferre potuit, id omne cum amputata deperit; nisi absurdissimé vita eam frui etiamum existimemus; quod ne fingi quidẽ potest in perfectis animalibus, quo modo solutâ penitus cum toto viuente partis continuitate, & vtrisq; penitus separatis pars communi totius vitâ possit frui: cum ne in arboris quidem cariosis ramis, trunco virenti continuis, vitam concedat sanior Philosophia, quod vitæ nimirum actiones nõ exerceant. Id quod in amputatis quoq; animalium partibus clarius est, quam vt probatione egeat. Adde quod quocunque tandem modo detrahatur misero animali vngula, nunquam nisi mortua in vsus medicos adhibetur. In vngularum delectu obscuritas major videri posset, nisi tenebras has illustraret rerum evidentia, & euentus necessitas. Posterioris pedis dextri vngulam, spretis reliquis, probant, quod ejus nimirum scalptu, & ad frontem affrictu, paroxysmum epilepticum discuti animadverterint. Sed illud pariter erat animaduertendum, non, vt ambidextros & scævolas inter homines est reperire, etsi rariores reliquorum respectu; ita, promiscuã esse ad actiones quaslibet cuiuslibet in brutis, naturam ducem sequentibus, pedis siue agilitatẽ siue vsum. Dextris plurimum valemus pleriq; omnes. At ex dextri lateris priore posterioreq; pede, aptior hic illo, cúm vt scalpus, ille fiat, in arcum sinuari animal oporteat: quẽ po-

situm faciliús assequitur, coeunte posteriore pede cum capite, veluti duobus arcus cornibus; prohibente, quominús id fiat per priorem pedem, articulationis defectu, quæ, etiamsi nec in posteriore sit, nihil vetat, quóminús contactus fiat & scalptus cõmemoratus, articulatione vertebrarum totius dorsi defectum compensante. Quanquam videmus, etiam articulatis cruribus donatos canes, libentiús posterioris, quam prioris pedis servitio ad scalpendum vti. Quód si sibi constare velint, vnicam internã posterioris dextri pedis vngulam debebunt in vsum vocare, (est enim animal bisulcũ) cúm exterior, nisi diarthrosis laxa esset, id muneris non possit obire. Postremó illud quæro, an paroxysmi solutio ab vngula, vt tali quadam specificâ virtute prædita, depẽdeat? an, quia violentiús caput pulsat, naturam reuocet? an denique sanguine elicito causam morbificam reuellat?

5. Si coloris duntaxat causâ in Theriacam conijcitur assa chalcitis, vt autor est Galenus l.1. de Antid. c.16. commodiús omittitur. Quid enim refert, nigráne ea sit, an alterius coloris; modó efficacia, quam in debellandis morbis titulo pollicetur, constet? Nec enim illæ nigri coloris blanditiæ, erosionis (nisi validissimé edomita esset) periculo redimendæ. Quód si adeó, stultæ & incertæ originis, vt testatur l. c. Galenus, consuetudini indulgendum est, innocentiore aliquo rectiús colorem conciliabimus.

6. Magnis meritó laudibus in calculo, arenulis, & renũ vlceribus, celebrata est, nõ solum é longinquis regionibus petita Terebinthina, sed etiam quæ in eius locum nomẽq; apud multas nationes successit, Germaniæ frequens Larigna, tam clystere infusa, quam per os data: nisi pinguedo & tenacitas feré invicta difficilem redderet exhibitionem. Multis itaque tentatis, cum ovi vitello cõfringi placuit. Et sané nõ caret laude inuentum. At in enemate, moram illam interdum indignante præcipiti morbo, citiús & elegãtiús sine omni grumo, si cum oleo, qualecunq; tandem illud sit, ꝙ alioqui enema recipit, leuiter viuo carbone calefacias: ita enim propter symbolũ omnium pulcerrimé & celerrimé miscetur, nullo, ne per fistulam non exeat, aut eius foraminula obstruat, impendente metu; qui aliâs, nisi longo tempore & accuratâ diligentiâ edometur, vix abesse potest.

7. Periculo non vacare, in plumbea stanneáue vasa syrupos acidos condi, ex cerusæ faciendæ ratione Dioscoridi l.5. c.103. tradita, haud absurdé colligitur: cuius perniciẽ l.6. c.72. intra corpus si sumatur, demonstrauit. In pyxides autem abiegnas, & resinoso succo prægnantes, conditæ tabellæ, trochisci, & similia, licét nullius pernecabilis malignitatis contagia contrahant; vix tamen ab odore ingrato & fastidioso, præsertim si calor accedat vindicari poterunt.

8. Nihil æqué tabellarum vires infringit, quã nimio plus sacchari, pro specierum modulo, sic vt interdum vncia tabularum integrâ deuoratâ, vix scrupulus aut obolus specierum assumatur. Et quantulum est hoc in medicamento parúm generoso? Aucupiũ est hoc, & suspensa sacchar o hedera, vt cariús veneat. Ingrati tamẽ pulueres, quippe qui etiam efficaciores sunt, maiore sacchari quantitate dulcorari possunt, pauca virium iacturâ. In alijs, quos culinæ quotidianæ nôrunt, idem facere, quæ lex iubet? Esto autem saccharum primarium, solidissimum, depuratissimum: quod tamen penidijs parandis ineptum fuerit; quippe quod ob fragilitatẽ ad vncum reuocari non potest, vt hîc lentum & pinguius meritó ob eam causam expetatur.

9. Aegré assumuntur catapotia: non solum quod ex ingratis succis, quos palatum auersatur, plerumque sunt composita; verum etiam propter formam. Multos enim ad deglutiendum ineptos videas. Adde etiam, tot catapotiorum repetendam toties deglutitionem. Coactionis & correctionis modus de mole non parum detrahit, de viribus nihil. Syrupis excepta majore dosi minus efficient, quam succo. Meliús & acceptiús corrigẽt guttulæ paucæ oleorum stillatitiorum, quam vnciæ aliquot specierum. Deglutitionis tædium tolletur, si ex syrupo, ex pulpa pomi assati, ex hostia (vt vocant) vino madente sumantur.

ENNEAS

1. DE decubitus forma certari video: hic pronũ, ille ſupniũ probat: alius in dextrũ, alius in ſiniſtrũ latus mavult. Supinus pleriſq; damnatus, renes calfacit, & cogendis arenulis calculiſq; ſæpe occaſionem præbuit. Idẽ ſitus ratione (veluti in carinã reclinato corpore) declivis, reſolutionũ nomine metuitur: imprimis ſi in capite pituita ſupervacua redundet; cui recipiendę inferior ſpinæ ſitus eſt oportunus. Pronũ ſuffocationis periculum comitatur, interceptis per arctiorem ſomnum animæ vijs; & in oculos fluxiones. Minus calumniæ obnoxij ſunt reliqui duo, vt quos obſeruatio non ita damnabiles cõpererit, ſed vter potior? Aut ſi vterque, vter prior? Fuchſius Inſtit. l. 2. ſect. 4. c. 4. eum qui in dextrum eſt præire vult, ſubſequi qui in ſiniſtrum. Viciſſitudinẽ gratam amplector; & ſi conſuetudo longa, haud facilé mutanda, ferat, nec aliud quidquam prohibeat, (vt alterutrius lateris dolor, & ſimilia) ordinem quoq; recipio: rationem non item. Ita enim, inquit, cibus promtiús per ſtomachum gulámve in ventriculum deſcendit. Nam etſi gula exacté ſupra mediam ceruicis vertebrarum, & quatuor primarum thoracis ſedem, in neutram partem inclinat, ad principium tamen quintæ thoracis vertebræ, vt ampliori magnæ arteriæ trunco, ſecundúm dorſi vertebras inferiora corpora petenti, cedat, nonnihil in dextrum latus á media vertebrarum regione abſcedit. Vbi autem probé jam cibum deſcendiſſe coniecerimus, in ſiniſtrum latus decumbendum erit: ita namq; á jecore, ventriculo magis incumbente, ventriculi calor augebitur, eiúſq; cõcoctio adiuvabitur, Hæc ille. Quæ, quia hypotheſin dubiæ fidei de prima decubitus forma ſupponunt, non temeré accipio. Neq; enim credibile eſt, ſi reliqua ſe recté habeant, vt in œſophago hæreat tãdiu cibus: qui & pondere ſuo adjutus, & ab œſophagi circularibus fibris externis comprimentibus detruſus, & ab internis ejuſdem oblongis fibris attractus, moram in œſophago non facit. Id quod etiam magis diſtenti ventriculi ſenſus, etiam antequam menſam relinquamus, abundé probat: quãto magis interjectis aliquot inter paſtum & decubitum horis? Rurſum in ſiniſtrũ, decubitus diuturnior ſecundo loco, quóminús pylorus aperiatur, chylum emiſſurus, impedire poteſt; mole putá hepatis, pyloro vná cum ventriculo incumbentis. Quare niſi affectus aliquis, aut conſuetudo immutabilis aliud ſuadeat, ſiniſtro primas, dextro ſecundas dederim.

2. Longæ in menſa ſeſſiones, elegantiæ velo commendabiles habentur; ſanitati tamen parum amicæ. Quoties enim inter fercula ſermones intercurrunt conuiviales, feriantibus molaribus, toties ventriculus concoctionem aggreditur. Quoties noua gulę irritamenta ſupergerũtur, toties ab incepto opere diuertitur. Hinc reciproco ęſtu agitatus, nihil feliciter coquit: hinc vel cruditates, vel corruptela. Magis probatur Cyrus, quem nunquam á menſa ſaturum, nunquam menſæ ſine appetitu accubuiſſe ſcribũt, nunquam concoctiones interpolantem interpellantémve.

3. Quia audiunt, ex ingeſtis cibis, vnicam fieri maſſam, in quam ex æquo agat ventriculus; hinc in cibis ſumendis ordinem omnem ſuſq; deq; habent. Non ſic Galenus, ſi vitium non fecit ventriculus, eupepta dyſpeptis præmittit, liquida ſolidis, lubricantia aſtringentibus. (Nam ægrotorum alia atq; alia pro morbi ratione ratio) Totus in eo eſt, tribus de facultatibus alimentorum libris. Docuit euidente demonſtratione in Prota rhetore (2. de alim. fac. c. 22.) non eſſe de nihilo, quod ciborum ordinem commendet; cui ex pyris auſteris venter & deiiceretur, & cohiberetur, ſolo cibariorum ordine mutato.

4. Terrifica angina cibum omnem per os reſpuit; ſuffocationis periculo, & deglutitionis difficultate, eius exhibendi occaſionem prohibente. Ridiculum, cataplaſmatis ex gallinaceorum pulpis & vitulina, nutritionem aggredi: Per enemata tentare, ratione non vacat. Hoc docet venarum meſaraicarum conſtitutio, chylum ex inteſtinis trahere ſolitarum non tantúm ſuperioribus, ſed & inferioribus: licét horum venæ illorũ venis numero & magnitudine cedant, ne coli obicem perfringere, aut aſcendere cogatur enema. Nec nullam eſſe vim inteſtinorum coquendi chyli, teſtis eſt Galenus, l. 4. vſ. part. Etſi namq; coquendi chyli gratiâ conſtructa non ſunt,] ſed continendi & diſtribu-

ſtribuendi tantúm; tamen quia nunquam iners & otioſa eſt natura, in ipſo per inteſtina tranſitu elaborationem perfectam conſequitur chylus: nō ſecus ac in majoribus venis facultas eſt quædam hæmatopœitica. Eadem enim inteſtinorū & ventriculi ſubſtantia, color, tvnicarum contextus; nec ita diſſimile temperamētum. Elaborationem veró, in tanta rerū omniū deſperatione, & liquidâ cōſiſtentia, & ſubſtantiâ, quæ mutationē facilé recipiat, chyli æmulâ, ſupplebimus: & ne ſordibus inquinatū enema naturā eludat, inteſtina clyſmate primúm eluemus; adeoq; & portionē paruam nutritorij enematis, ne moles moleſta naturam ad excretionem irritet, infundemus.

5. Mollium & effæminatorum eſt balneum; exercitiuum virorum: vtrumq; ſuperfluorum per habitum expellendorum causâ celebratum, ijſdémq; fere legibus ineundum, nec niſi celebratis primis concoctionibus, & corporis plenitudine minutâ. Sed quibus ſe exercere licet, his exercitium balneo præferetur. Balneo quippe tantum abeſt vt calor generetur, ſicuti per exercitia fit, vt potiús exhalet: Quamqnam ergo vtilitatem communem habeant, ſuperuacua per habitum corporis euacuandi; á balneo calor internus, concoctionum autor, debilior, aut ſaltem non robuſtior relinquitur: quem exercitia vegetiorem reddunt. Rarefacit cutem, carnéſq; effœminat balneum, vltra quas vix ejus deſcendit calor; & quidem aſſcititius: per exercitia intus foras latus, genuinum magis vigorem arguit. Quó accedit & illud, quod ex rarefacto eâ ratione ſanguine, ſpiritus plures quoque generantur.

6. Per ſanitatem cauſarijs multis multus vſus pulucrum, quos ab aſſumendi tempore Poſtpaſtum vocant, nimius equidem, & cum nimis euidenti periculo, etſi pleroſq; illorum lateat, conjunctus. Materia ex haud ſegniter calefacientibus deligitur: qualia fœniculum, apium, liguſticum, ammi, piper, Zingiber, ruta, cyminum, ſeſeli, thymus, calamentha, cinamomum, & reliqua ejuſdem generis: de quibus apud Aëtium, l. 9. c. 24. Et ex compoſitis, Galeni, libris de ſanit. tuenda, diatrionpiperō, diacalaminthes, dioſpoliticon, aliáq; per multa ab Aëtio deſcripta, l. 3. cap. 90. 91. & l 5. c. 68. & l. 9. c. 10. Quæ oxyporia eſſe omnia conſtat, tenuium partium, & facilé venas ſubeuntia & permeantia; vt nomen ipſum indicat, á cita penetratione inditū. Quo fit, vt pro eo, quod ciborum concoctionem in cruditatibus adjuvare debeant, incoctos, præcipitent, & cruditatum obſtructionūq; autores futuros in venas ſecum rapiant. Nimirum incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdin. Modus interea ſi adſit, & gradus caloris & doſeos, innocentiora fuerint.

7. Inepta eſt nutricularum oſtentatio, infantes, antequam firmentur artus, ad ſtandum ambulandúmve cogere. Tenelli articuli cúm oneri ferendo non ſint, cereæ mollitiei, extrorſum aut introrſum, quó moles incubuit, contorquentur: ex quo pro liberali ſtatura valgi aut vacij redduntur.

8. Ijdem recens editi (præſecto priús vmbilico) balneo priús commitendi, quam in cutis denſationem, ſiue oleo aſtringente, ſiue ſale, & c. intēdendum. Idq; ideo, vt priús abſtergantur ex vtero contractæ ſordes, quas cutem denſantia impingerent, vt oſſa parteſq; tempeſtivé dirigantur, vt vibices & contuſiones, ex puerperij difficultate, cervicis vteri anguſtiâ, obſtetricisq; rudi contrectatione, diſcutiātur. Quorum quidquid in vitio fuerit, balnei ſcopum docebit.

9. Meconij quoq; ſeu papauerculi expurgandi, non aliena hoc loco quo diætetica miſcellanea tractamus, obſeruatio. Nihil illud aliud, quam nutritionis, per geſtationis tempus, reliquiæ, nigrioris ſanguinis ſimile, recté mellis linctu deturbabitur. Cocti, an crudi? Hoc magis abſterget, magis aluum ſubducit. Illud ἀφυσώτερον. Sed parum crudi non niſi parum etiam flatuū generare poteſt, quod non liberali manu, vt nutriamus, ſed parcâ, vt leuiter detergamus, exhibendum arbitramur. Nec diſſimulandum etiam crudum interdum cocto aliquo ἀφυσώτερον. Tanta præſtantiæ diuerſitas.

ENNEAS OCTAVA.

1. Recténe in quartana intermittente exquiſita, circa ſtatum attenuantibus & calefacientibus morbus ſit oppugnādus, quæſitū eſt. Ratio videtur negare, quo tēpore calor ſæuit, acriorq; reddita materia fuit, quāto calor & acrimonia auctior, tanto magis

magis medicamentis,adversâ qualitate præditis,contrá esse eundum; modó stabilis á contrariis petita medicandi ratio manere debeat. Iam veró symptomatum ferociam tantam,in acmen properante morbo,animadvertimus,ut horrore aut frigore anté solita affligere,jam rigore totum corpus concutiat; tertianum typum æmulata, anxietate,siti,aliisq; accidentibus solito molestior. Similium in affectibus p.n.usurpatio, per se quidem eos semper magis fovebit, & (quod dici solet) ex fumo flammam faciet Ita nimirum importunus remediorum usus,ex simplice quartana duplicem, ac triplicem,forté & continuam introducturus est.

2. Frequens in frigidioribus his tractibus pestis ἐπισημασία in emunctoriis, ut inguine,apparet,enato bubone; sive is vegetæ solius naturæ facultate, sive medicamentorũ ope accedente,protrusus sit,arti viam monstrante naturâ, utiliter sequendam. Quam recté operantem contra Senis oraculum (quó natura vergit,&c.) deserunt, qui cucurbitulis adhibitis inferiore loco attractionem moliuntur. Quasi veró buboni circumpositæ partes faciliús ejusmodi auxilia tolerent, quam laxiores glandulæ aut materiæ recipiendæ aptiores exsistant illæ quàm hæ.Nam cúm ob raritatem faciliús laxari possint,majorem quoq;,si ex usu id sit,materiæ venenatæ copiam excipiant. Et cum sensus (autore Galeno l.2.ad Glauc.c.2.) expertes sint,potentioris remedij violentiã nullo incommodo,nullo doloris sensu perferent. Alij galli deplume uropygion ad virus attrahendum usurpârunt;compresso rostro,scilicet ut per podicem inspiret. Sapientes Philosophi, & in Physiologia medica gnaviter versati, Alcmæoni cedere noluerunt, capras per aures respirare arbitranti.

3. Extremis morbis extrema remedia adhiberi, ex Aphorismis discimus; & summa desperatio ad ferrum & ignem invitos adigit.Ita non dubitamus catarrhum invictum, & quod certum discrimen minetur,frustra aliis tentatis, cauterio oppugnare. Dubia tamen & periculosa in sutura coronali, quod factitari á quibusdam solet, applicatio. Sine dolore magno ignẽ non adhibeas,non sine omni etiam pyr apyron. Hinc major ad locum affectum humorum attractio,hoc est, quod maximé effugere nitimur, in id maximé incidimus. At educitur una ? Nos præceps malum supposuimus : eschara non nisi tempore decidit. Si casum acceleres, id quia humectantibus potentiâ, ut butyro, oleo,procurari solet; quanto magis accelerâris, tanto magis humectâris, tantoq; magis mali fomitem auxeris. Adde,ex loco petitam difficultatem, terrifica symptomata minitantem.Per suturas,docemur ex anatome, meningem crassam elabi,pericranium constituturam : cujus cúm sit tantus cum cerebro ob eam causam consensus, tantusq; & tam exquisitus sensus,doloris impatiens,non potest non incutere convulsionis terrorem. Sed cesserint omnia ex animi sententia, corrivationis ineptitudinem loci situs superior arguit, & præter cerebri substantiam nulli ibi emissario perviam, interjecta meninx gemina. Quapropter si quid ex ejusmodi præsidio sperandum est auxilij, aptior utiq; fuerit locus nucha,acu funiculũ(setonem vocant) trahente transfossa. Periculi hîc minus; emolumenti plus. Situs obliquus licét; at simul inferior: omnium patentissimum cerebri circa eam regionem foramen, in cranij basi spinalem medullam emittens.

4. Sympathicæ epilepsiæ maximé generosum præsidium est,veneni participẽ auram ascensu in cerebri arcem prohibere : sive id revulsione, sive interceptione fiat. Cujus utriusq; usus facilior,spes evidentior, in tertio epilepsiæ genere, ab extremis putá; ut manu,pede.Revulsionem puram putam, ad originem scilicet & terminum á quo, interdum nõ admittit prima mali sedes : quod phœnigmis,aut causticis, tam actu quam potentiâ agentibus,dolorificis utiq; insigniter utrisq;,feré soleat celebrari; vel certé temporis angustia, & improvisum malum,jamjam hominẽ prehendens, generosi aliâs remedij usum excludat. Quare ad expeditiorem interceptionem injecto vinculo properatur,ut maligna aura in cerebrum subvolans sufflaminetur,& in via sistatur.In loco deligendo hæretur; etsi is,qui locum primarió affectum & cerebrum interjacet, semper eligatur: pauló supra fomitis sedem volunt injici,ne latiús manet malum. Tutior tamen semper & securior,altior videri posset injectio, ad alas nimirum & inguina, aut ossa femoris & humeri : maximé si fomes infra genu cubitúmve exsistat. Cúm enim

inter cubitum & radium, itemq; fibulam & tibiam, vasa haud obscuré ferantur, nunquam omnis aditus conclusi spes esse certa poterit, penitús latentium vasorum constrictionem prohibentibus circumstantibus ossibus, metum illum auferente ossis simplicitate in femore & humero, sive ad alas & inguina.

5. Sed ubi arcem cerebri mali labes invasit, sive ἰδιοπαθικῶς, sive συμπαθικῶς, incredibiles membrorum distensiones, & horrendæ convulsiones, diritatem causæ produnt. Ibi trepidatio, abominatio, &, veluti contagione pestiferâ in obvios grassaretur morbus, fuga. Si qui cordatiores, adsistunt, manum operi admoliũtur: quos nisi scientia instruxerit, plus lædunt quam prosunt. Convulsa membra violenter dirigunt, extrorsum, introrsum, & ad latus trahunt, rapiunt, ipsaq; convulsione pejús feré miserum affligunt. Verúm qui sic ex toto naturæ motum impediunt, quid aliud faciunt, quam ut paroxysmum prolongent: siquidem eâ succussione natura expellit causam paroxysmi conjunctam. Potest interim provideri, ne caput aliáve membra allidant, & ledant, mollibus circumpositis & suppositis culcitris, & violentiâ duntaxat motus refrænatá, frictionibus, manu inunctâ relaxante aliquo, discutiente ac molliente oleo: non omissis interea temporis, quæ naribus adhibita, præcipuam in paroxysmo abbreviando vim habere usus observavit; ut sunt galbanum, ruta, pulegium, bitumen. Quæ licet extra paroxysmum morbum sonticum prodant; præsente tamen eo, quia materiam paroxysmi conjunctam discutiunt, utiliter in usum veniunt. oris diductio, cunei impositio, partium quarundam potissimúm respiciunt præservationem.

6. Vt sopiti apoplecticorum sensus revocentur, ad concussiones violentas & sternutamenta, ab initio statim concurri solet, innocenter non solúm, sed & utiliter interdum, at corpore plethorico incauté & imprudenter, nisi præmisso clystere antispastico, aut purgatione (si fieri potest) plenitudini deplendæ destinata, nisi ex spe levi superstite in certam perniciem laborantem coniicere velimus. nam si pleno corpore & capite, morbum potest violens motus invehere, quantó magis jam cœptum augere? ita Rhazæ quoq; patella ignita, quia aliquando eventus fefellit, aut crudelius visum est præsidium, malé apud quosdam audit.

7. Dubiæ curationis est melancholia hypochondriaca: in qua peccant, qui valdé calefacientia & exsiccantia sine delectu exhibent, dum rugitibus & ventositatibus consulere intendunt, neglecta hepatis caliditate, maloq; importunis remediis irritato. Viceq; versa in alterum extremum declinantes in errore versantur, qui in solam intemperiem intenti, refrigerantibus duntaxat & humectantibus opus aggrediuntur, ecphracticis vale dicto.

8. Ad linguæ asperitatem, scabritiem, & decolorem nigredinem in febribus ardentibus, gargarismatis ceu unicæ & sacræ anchoræ, insistere, perinde est ac rivulis obices opponere ne fons aquam fundat. altiús quærenda mali origo, in visceribus puta exæstuantibus, quibus si provisum ex arte fuerit, anathymiasin parum formidamus. habent adstringentes repellentesq; collutiones (ubi prius laboranti primarió parti non fuit prospectum) hoc quoq; mali conjunctum, ut dum aditu prohibentur exhalationes illæ, cor & pulmones occupent; unde suffocatio, aut febris hectica. quantó præstabilius, linguam, partem vitæ non necessariam, & hæc & deteriora pati, quám principalia viscera in periculum manifestum coniicere?

9. Damnantur in Aphorismis aromata, quód sint καρηβαρικά. atqui tabellę in capitis roborandi usum præparari & asservari solitæ, diambra, &c. talia recipiunt. an immodicus usus, & corpore excrementis pleno damnantur? tum, quia cúm ipsa calidiora suo vapore sursum lata, caput possunt implere, & aliis etiam excrementis digestis rarefactisq; in vaporosam substantiam, occasionem præbent ut subinde in caput ferantur. modestus interim horum usus, præsertim corpore probé exinanito, roborare cerebrũ potest, non quacunq; ratione imbecillam, sed frigida intemperie affectum.

ENNEAS NONA.

1. TVMOREM chirurgi nostri statim frigidis & adstringẽtibus repellere conantur, nec motum naturæ, nec materiæ modum, aut partis considerationem in consilium

lium

lium adhibent. periculi plena fuerit talis curatio in matetia venenata, ne in partem aliquam principem irruat: in crassa, quæ non cedit: in critico tumore, vbi naturæ motus legitimus non est interpellandus: in emunctorijs, depurgādo corpori destinatis: in inflammationibus thoracis, propter respirationis vsum ex refrigerantiū & adstringētium vsu periclitaturę, & cordis vicinitatem, in quod regestum iri humorē veremur.

2. Repulsionis calidorum tumorum opus oleis aggredi, vsitatius quám vt inueterata gentium consuetudo aboleri possit, periculosius quám vt penitus recipi debeat. facilé siquidem calorem á partis tumentis intemperie concipiunt, quem deuuo parti pro refrigerio impertiunt, mutuum hostimentum, misero ægroto hostile.

3. In omnibus vulneribus protinus ad hæmorrhagiam sistendam confugere, imperitiæ est. qui ex arte curat, interdum non tantúm fluentem sanguinem non sistit, sed etiam vel fluxioni ex ipsa parte vulnerata ampliús indulgebit, vel ex opposito secta vena revulsionem instituet.

4. Telum infixum, si venas, neruos, aut ossa &c. jam perruperit, majusq́; ei spatium remetiendum, quám ad partem aduersam superest, expeditiús & commodiús in partem oppositam sanam protruditur, quám retrahitur, potissimum veró si alato fuerit mucrone, siquidem vel nihil vel minus periculi minetur pars pervadenda, aut protrudi vix ac ne vix quidem ratione vlla potest telum: hoc fit, si ossi infixum hæreat: illud si obstantia vasa magna, venæ, arteriæ, nervi, ne via vi fiat, deterrent. quorum omnium si absit metus ex protrusione, præsertim in carnosis & crassis, hoc consequemur commodi, vt faciliús vulnus sanescat vtrinque medicamenti vim sentiens: quod vt quám minimo fiat damno, cautio est.

5. Ita sané in penetrantibus vulneribus bombardâ inflictis praecipiunt, setone (vbi locus permittit) medicato transmisso curationem moliri. detrudit ille ossium squāmas, complanat, parietes vulneris emundat, alienis consolidationē prohibituris exitū apertum seruat: qui vbi generanda caro, necessarió erit auferendus, si sinus repleri & parietes se contingere debeant.

6. Difficile sed summé vtile in fracturis fascias moderari. arctiores difflationē conculcatæ materiæ prohibent, gangrænam creāt. Laxæ non reparant. Modum docet doloris absentia, conformatio firma.

7. Licebit, opinor, sine piaculo Hippocratem deserere, ferulas fractis non ante septimum diem adhibentem. metuit scilicet prouidus senex inflammationem: cuius tamen metum quartus aliquando tollit, & laxiús circumjectæ periculo illo carent, cōmodo non carent, vt quæ fragmenta vtcunq; dirigant, inq; officio contineant.

8. Quoties acu pungitur vulnus quod suitur, toties dolor novus, toties aucta inflāmationum caussa: puncta nimis rara, indecoram cicatricem pariunt: arcta nimis, puri & cuiuis alteri stagnanti illic humori exitum non relinquunt. nunquid ergo tutior sutura, vt vocant, sicca? in magnis & magnorum membrorum vulneribus vix sufficiat, in quibusdam commodé vix fiat. alioqui cicatricis, tenuitatem fili imitātis, gratiā parit

9. Argumento, multis dubio, ἀναισθησίας dentium, in quocunque tandem eorum dolore, pertiāciæ sit extractionem negare. quid si neruulus inflammatus sit? haud alia ratione expeditius licebit quod inpactum est difflari, & conuenientia adhibere remedia, penetrationem prohibente, quamdiu manet, dente.

ENNEAS DECIMA.

1. VAnæ gloriolæ & stultitiæ suæ pœnam meritó luuut, elegantiæ, vt sibi videri volunt studiosæ, quæ gelu & frigore intensissimo pectus denudant, pulchritudini ostentandæ & aucupio lenonio: quæq́; faciem rubore immodico tinctæ, Lunæ radijs, conciliandi palloris causa, faciem, pectus, collum, exponunt. arcessuntur hac ratione catarrhi, tusses, pleuritides, sputiones cruentæ &c. Optima coloris mutatio jure videri posset in humorum mutatione, cuius acquirendæ modus in vitæ regimine potissimum consistit. qualis enim humor, talis in cute efflorenscentia.

2. Rugosas & ante tempus vetulas sublimato fucata facies ostendit: cuius vsu vt decor vultus parum diuturnus conciliatur, ita labes durabilis dentibus & hali-

in

...uritur: illis nigrefactis, tremulis, & vix intra alveolos suos hærentibus: huic mephi-
...im virosam eructanti.

3. Fœdos virginum colores citiùs obstructionum reseratio, mensiumq; prouocatio emendauerit, quàm vlla topica.

4. Quoniam parum nutrimenti præbere creduntur fructus horarij, herbæ crudæ, & similia, affatim ejusecmodi ingurgitant, aquamq; & acetū ingerunt illæ, quæ cùm habitu sint liberali, curaturâ junceum affectant: quam interea spem euentus eludit, inflatis ex cachexia carnibus vastioreq; toto habitu effecto.

5. Laterem lavet, qui tabidis, longoq; morbo aut venere exhaustis, defluos capillos nitro, sapone, staphisagria, euphorbio, similibusq; epispasticis conetur reuocare. Frustraq; effectus non præsente materia exspectetur. Victum prætulerim analepticum, cū fotu partis affectæ temperato ex hydrelæo aut simili.

6. Plus sudant alii in pilis tollendis, sed ita ne renascantur. illud facile, & cuilibet balneario notum: hoc verò à multis promittitur, á quo præstetur nescio. Cicuta, mandragoras, & similia multos multùm fefellerunt. ex psilothris hoc saltem habebis commodi, vt, quia facultatis sunt impensé calidæ, poris eâ ratione strictioribus redditis, pili qui postmodum subnascuntur, tenuiores evadant.

7. Sed quæ potissima & tutissima auferendorum pilorum ratio? dropax & volsellæ violentiam ex vtendi modo habent coniunctam, & attractione sanguis ampliùs allicitur, vberiori pilorum incremento pabulum suppeditaturus. psilothra suapte natura talia sunt, vt erodant diutius relicta: vsus tamen horum, si debita cautio adhibeatur, magis est receptus.

8. Sicca rimas agunt, humido partes continuante absumpto: ita per æstatem squalentes agri dehiscunt. quid igitur ijs facias, quæ ad fissuras papillarum tum præcavendas tum curandas aqua aluminosa vtuntur?

9. Hircum rectiùs curaris purgatis serosis humoribus, quam vllis adstringentibus, quæ forté non vacant etiam periculo: sed amica vtriusque remedij conspiratio multò vtilior. nam globulos sub alis odoriferos gestare, quasi injecto velo, malum magis dissimulat, quàm tollit.

DEO GLORIA.